Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthoxodorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesima-sexta mensis Junii.

M. JOANNE GARBE, Doctore Medico, Præside.

An quodlibet temperamentum ut suas virtutes, sic suos habeat defectus?

CORPUS hominis animæ rationalis gratiâ conditum est non modo ut diversorium, verum etiam ut organum illius insitis viribus expromendis accommodatum; at ut ipsa est omnium formarum præstantissima, ita illius corpus pulcherrimâ conformatione est adornatum, ut divinæ mentis munere fungeretur; ea ratione tria obtinuit, quæ cæteris animantibus rerum natura denegavit; Primò figuram celsam & rectam quæ in cœlum suumque conditorem se attollens cœlestes igniculos & semina divinitatis suæ testatur; Secundò, cerebrum amplissimum animæ sedem, ut permultis functionibus edendis perfectius posset inservire; Tertiò, duas manus belluis denegatas obtinuit, quibus facilè persequatur & comprehendat quæcumque anima rationalis voluerit imperare. Ex elementorum & humorum inter se confusorum mixtione & unione temperamenti ratio exurgit; at ea quod sit multiplex in diversis hominibus ex diversis actionibus nobis certò innotescit; notæ enim sunt quibus unius cujusque naturalis status potest cognosci; at ut sunt quatuor humores pro singulari singulorum in quolibet homine exuperantiâ, sic temperamentum in genere in quadruplicem differentiam venit distinguendum, in sanguineum, billiosum, pituitosum, & melancholicum. Quodlibet autem ut suas virtutes, sic suos habere defectus licet profiteri.

MELANCHOLICUS laboris patiens est, res altè penetrat, inexplorata indagat, parturit aliquando inopinata, facilè diùque meditatur, studiis tenacius adhæret, & longâ mentis ruminatione quæsitas invenit & digerit veritates; sed multiplici laborat defectu, vix mediocri pollet memoriâ, simulachra enim sicco cerebro non ita facilè imprimuntur, tædio non rarò languescit, sibi ipsi infensus, solitarius, taciturnus, contemplator, tenax, avarus, gestu, incessu, & voce gravis, tardior est in conceptibus formandis, ita uni sparte addictus est, ut ab eâ divelli facilè non possit, hinc multa simul complecti non valet, nec ad disciplinas omnes animum applicare, quod tamen ab homine esset expetendum. Si humor melancholicus in majori copiâ exuperet, tunc ille nec in gaudii opportunitate hilarior, nec in tempestivis amœnitatibus alacrior videtur, sed quò fœlicius cuncta blandiuntur, eò amarior fit & tristior, atque ubi semel terror invasit cum animi abjectione silet & juvat rebus tristioribus immorari, sicque suâ crassitie & frigiditate melancholia corporis & animi actionibus adversatur.

BILIOSUS alacriter rem aggreditur & citò perficit, facilè invenit, difficultati non cedit, multo igne ardet, & luce splendet, mordacitas hujus humoris animum vellicat, sollicitat, & quasi scintillas elicit, uno verbo igneus est illi vigor, cujus fœcunda vis multa & nova ex tenebris in lucem edit; sed hûic sua vitia non desunt, cœco impetu fertur in præceps, corporis & animi motus sunt celeriores & ad iram proclivio-res, judicio in multis peccat, multa per inadvertentiam omittit, eaquè incautum subterfugiunt, quæ omittenda non essent; cœcâ rabie corripitur, ubi susceptæ res pro voto non succedunt; errorum suorum amantior est, quàm ut ab iis liberari possit; sicquè sua sæpè turpia cerebri effluvia (quasi flos balsami esset) in prætio habet; aliorum contemptor, minimè ferendus, liberalior sui æstimator, in ipsâ rerum superficie & cute, fatui ad instar ignis excurrit, non verò altè scrutatur, ossa lingit, non frangit ut interiorem medullam gustet, aut certè si frangat, non terit, non coquit, non digerit, hînc non rarò immaturos & agrestes fructus producit.

SANGUINEUS temperatior est, nec tanto fertur impetu quanto biliosus, nec tanto rigore obdurescit quanto melancholicus, mirâ facilitate musis vacat, eodem semper mentis tenore incedit, non repit humi, non fertur in ardua, sed medium tractum obtinet, facetus, simplex, liberalis, tædio nunquam afficitur, quia fugit omnia quæ tædium afferre possunt; si plus æquo difficultas obsistat ad alia statim se convertit; sed hæc omnia non sunt sine vitio, nec mediocritatem superant in quâ hominem ex voto se sistere non est optandum, qui non mediocriter doctus, sed omnibus artibus & disciplinis edisœndis capax & ingeniosus esse desideratur: ille est sæpius sensuum illecebris delusus, divinam auram in voluptatum fœcem immergens, sic ad risum, ad epulas, ad venerem proclivior, omnibus morbis à plenitudinè obnoxius.

PITUITOSUS mollis, docilis est & facilè duci ac flecti se finit, hînc non parum sub eximio Doctore proficere posset, nisi esset desidiosus, somnolentus, iners, stupidus & obliviosus; Pituita quæ in illo prædominatur frigida & humida ad omnes corporis & animi functiones est inepta. Ex multorum votis in quolibet homine illa esset melancholia expetenda, cujus frigiditatem suo ardore bilis accendat; siccitatem pituita humore suo diluat; & nimium austeritatis rigorem sanguis lentore suo castiget: sic illa bilis cujus nimium ardorem suâ frigiditate pituita imminuat, cœcum impetum suâ tarditate melancholia sistat & nativam acrimoniam sanguis suâ dulcedine leniat: sic illa pituita, cujus inertiam flava bilis suis stimulis excitet; melancholia verò fluiditatem suâ siccitate contineat, & sanguis suo melle insulsum saporem condiat; sic ille sanguis cujus levitatem melancholia gravitate suâ compenset, & bilis suo impetu debiliores vires extollat; hâc ratione ex illorum votis homo prærogativas haberet, omni scilicet ratione imminutam humorum exuperantiam, auctamque illorum defectionem; sed graviter falluntur, nec est quod illam mediocritatis humorum proportionem desiderent, quam in hoc rerum statu minimè obtinere possunt, illa est purum mentis figmentum, nec potest propter qualitatum & humorum prædominium consistere in viventibus, in quibus tantùm illud existit temperamentum, in quo major est perfectio quæ minus imperfectionis & defectus complectitur.

Ergo quodlibet temperamentum ut suas virtutes, sic suos habet defectus.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.



M. Franciscus Vezou.
M. Claudius Puylon, Academiæ Censor.
M. Claudius Berger.
M. Claudius Biendisant.
M. Dominicus de Farcy, Pharmaciæ Professor.
M. Henricus Mahieu.
M. Claudius Guerin.
M. Iacobus Renault.
M. Franciscus Pijart, antiquior Scholæ Magister.

Proponebat Parisiis PETRUS DE LA COUSTURE, Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1687.